

fit elicere absque aliquo gratia auxilio præstatam dilectionem. Maior est certa; aliàs nec posset elicere in prædicto statu aliquod opus bonum morale sine speciali gratia. Minor est non minus certa: aliàs facultas connaturalis prædicta naturæ non posset in vilo potentia antecedenti prædictum actum elicere sine aliqua virtute elevante, & dante posse.

Adde pro maiori huius explicatione: quòd in homine lapsò, & constituto in gratia adest prædicta pugna, & fortè maior quàm in homine condito in natura pura; & tamen in sensu composito prædicti status vires connaturales nature humane possunt expedire prædictum actum elicere, nec est necessaria vterior gratia indubitata prædicto statui: ergo idem dicendum est de natura pura. Minor probatur: quia non obstantè prædicta pugna, dummodò non insurgant vehementes passiones & tentationes, homo iustificatus reduplicative vt *iustificatus* cum solo concursu generali Dei debito homini vt *iustificato* potest expedire actum efficacem supernaturalem dilectionis Dei efficere: ergo, non obstanti simili pugna, in natura pura potest cum solo concursu Dei generali dilectionem efficacem Dei finis naturalis elicere. Consequentia à paritate constat. Et antecedens satis colligitur ex præcepto Dei obligantis omnes aliquando ad talem actum. Nec valet recursus ad gratiam habituales: quia hæc non cohibet appetitum, ne insurgat contra rationem, vt liquet in recenter iustificatis post plurimos habitus vitiosos acquisitos, in quibus abs dubio concupiscentia est vivacior, quàm in homine condito in natura pura, & nullo peccato, aut habitu vitioso infecto.

§. III.

Alia dua rationes.

44 **P**robatur secundò ratione satis efficaci: Nam homo ex præcepto tenetur in puris naturalibus diligere Deum super omnia: ergo potest illud implere tam potentia antecedenti, quam consequenti solis viribus naturalibus in illo statu. Antecedens est certum: nam præceptum naturale de huiusmodi dilectione, supposita sufficienti noticia Dei finis naturalis, est potissimum & primum præceptum legis naturæ, & initium omnium aliorum, itaut homo teneatur ad illud, iuxta communem sententiam Thomistarum, dum primò pervenit ad vsum rationis; & iuxta sententiam aliorum in alijs temporibus: pro quo recolenda sunt propositiones damnatae ab Alexandro VII. & Innoc. XI. adductæ tract. præc. disp. 3. num. 109. Consequentia verò probatur: nam implicat Deum obligare ad aliquid impossibile, & hominem peccare in eo quod absolute, & expedite

Disp. I. de Necessitate gratia.

non potest vitare; sed præceptum illud obligaret hominem in illo statu iuxta vires proprias illius status: ergo potest illud implere tam potentia antecedenti, quàm consequenti solis viribus connaturalibus, & proportionati illius status.

45 Respondebis primò cum Godoy loco supra relato num. 17. & Ferre num. 39. hominem in pura natura non teneri absolute, & ex vi terminorum ad diligendum Deum efficaciter, & super omnia. Potest tamen Deus ex suo beneplacito illum obligare ad prædictam dilectionem. Sed tunc tenetur dare illi gratiam, qua fieret potens ad illius elicentiam, quæ esset debita ex suppositione præcepti, non tamen absolute.

Sed contrà est. Nam, supposita noticia sufficienti Dei finis supernaturalis, tenetur homo ad ipsum efficaciter, & super omnia diligendum, saltem dum primò pervenit ad vsum rationis, vt prædicti Authores docent, iuxta illud *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* ergo supposita noticia sufficienti Dei finis naturalis (qua solis viribus naturæ haberi potest, vt fatentur adversarij) etiam tenetur ad ipsum super omnia diligendum. Consequentia probatur: ideo antecedens est verum, quia præceptum diligendi Deum est initium, radix, præambulum, & finis cæterorum quæ sunt in ordine supernaturali; sed hæc ratio etiam probat de dilectione naturali Dei super omnia: ergo si, supposita noticia Dei finis supernaturalis, adest præceptum ad illius dilectionem, etiam adest de dilectione Dei finis naturalis, si supponatur sufficienti illius noticia. Nec favet recursus ad impotentiam in ordine ad dilectionem Dei naturalem: quia est prorsus voluntarius, & petens principium, vt ex se liquet.

46 Respondebis secundò cum Gonet num. 227. satis esse ad hoc, vt obliget præceptum, quòd possit illud adimplere ex auxilio speciali ordinis naturalis, quòd Deus necessariò offerret, stante obligatione præcepti. Nec status naturæ puræ excluderet omnem gratiam specialem, sed solum supernaturalem, aut naturalem per modum habitus, qualis est ea, quæ constituit statum naturæ integræ. Insistat prædictus Author præcepto, quo tenetur ad perseverandum toto vitæ tempore in tali dilectione; quòd tamen non posset sine speciali auxilio ordinis naturalis. Instari etiam potest præcepto, quo homo lapsus tenetur ad prædictam dilectionem, quin habeat potentiam expeditam ad eius elicentiam.

Sed hæc evasio nostro iudicio plura continet falsa. Falsum quippè est imprimis, quòd ad obligationem præcepti sufficeret, quòd Deus offerret prædicta auxilia ordinis naturalis. Nam ad hoc illa offerret in prædicto statu, vt homo ea à Deo peteret; sed non posset ea petere sine ali-

aliquo auxilio collato: nullus enim potest petere id, quòd non potest cognoscere; auxilium autem requisitum ad prædictam dilectionem nequit cognosci viribus solius naturæ, cum sit ordinis superioris: ergo non sufficit Deum offerre auxilia specialia. Et ita vel non obligat tale præceptum, vel debet in illo statu habere vires sufficientes ad eius impletionem.

Deinde falsum est, quòd ille status non excludat omnem gratiam specialem. Nam aliud est, quòd homo in illo habeat potentiam obedientialem ad omnem gratiam; aliud, quòd prædictus status non maneat cum solis illis prædicatis, quæ illum constituunt. Licet primum sit verum; secundum verò est absolute falsum: siquidem status ille solum constituitur per ea, quæ natura secundum se exigit; atqui natura secundum se non exigit vllam gratiam specialem, sed præcisè sua intrinseca naturalia, & concursus generalem in seipsum ei, quem Deus alijs naturis secundum se consideratis præstat; vel si illam exigit, iam non est gratia specialis: ergo ad statum naturæ puræ non spectat vlla gratia specialis.

Hincque impugnatur prædicta evasio. Nam vbi ade it, & vrget præceptum independentè à quacumque suppositione accidentali, etiam debet adesse facultas proxima & expedita independentè à quocumque accidentaliter superaddito ad eius adimpletionem; sed præceptum diligendi Deum super omnia vrgeret hominem in natura pura independentè à quacumque suppositione accidentali: ergo supponeret in eo vires sufficientes ad eius adimpletionem independentè à quacumque gratia speciali superaddita. Totus syllogismus est certus præter minorem. Quæ tamen satis probatur ex ipso lumine synderesis seu naturali omnibus indito, quòd sicut dicitur alia præcepta naturalia erga nos, & proximum, ita, & potiori titulo erga Deum. Instantiæ postulant specialia dubia, ex quorum resolutione constabit solutio.

47 Probatur tertio nostra conclusio alia ratione æquè efficaci præcedenti: Nam homo conditus in pura natura potest consequi suam naturalem beatitudinem: ergo etiam potest elicere amorem Dei naturalem super omnia. Antecedens est certum; aliàs homo in prædicto statu esset necessitatio, & naturaliter miser. Consequentia verò probatur: nam beatitudo naturalis hominis vel consistit in dilectione Dei naturali super omnia, vel ad eam consequitur, quoniam est præcipuum medium ad eius assequutionem: ergo si homo in statu naturæ puræ potest consequi suam naturalem beatitudinem, etiam potest elicere amorem naturalem Dei super omnia.

Et confirmatur. Nam homo in natura pura appetere: appetitu innato suam beatitudinem naturalem; sed id, quòd non est possibile per

viros naturæ, nequit terminare appetitum innatum: ergo homo in natura pura per viros proprias illius status potest consequi suam naturalem beatitudinem. Iam sic; sed dilectio Dei naturalis super omnia est necessaria vel formaliter, vel antecedenter, vel consequenter ad beatitudinem naturalem hominis: ergo illam potest elicere in illo statu per viros proprias connaturales illius status. Maior est August. lib. 3. de Civ. Dei cap. 8. vbi ait: *Ad appetendam beatitudinem natura compellit, cui summè bonus, & immortalis Creator hoc indidit.* Est etiam D. Thom. 1. part. quest. 62. art. 1. vbi ait: *Unumquodque naturaliter desiderat suam ultimam perfectionem, in qua naturalis felicitas consistit, vt sibi explicat.* Idem tradit alijs in locis. Estque adeo perspicua, vt non egeat vteriori probatione: quid namque manifestius, quàm quòd quævis natura naturali appetitu propendat in viciniam sui naturalem perfectionem, & miseriam abhorreat.

Minor verò probatur. Nam Deus frustra conferret prædictum appetitum, nisi simul conferret media sufficientia ad consequutionem rei appetitæ. Adde: quòd appetitus innatus dicere exigentiam ad terminum illius; atqui nequit dicere exigentiam ad rem impossibilem viribus proprijs: ergo. Quæ ratio præcipue vrget in appetitu naturali per modum potentie activæ, vt in præsentia contingit.

48 Huic rationi, eiusque confirmationi, præter evasiones præcedenti collatas, & sufficienter impugnatas, possunt responderè adversarij, quòd anima separata potest viribus proprijs absque auxilio gratiæ consequi suam beatitudinem, vbi etiam potest elicere diligere Deum super omnia Deum finem naturalem; & hoc sufficit vt habeat appetitum innatum ad illam.

Contrà est primò. Nam non solum anima separata, sed totus homo potest consequi beatitudinem naturalem, illamque appetit: ergo etiam totus homo potest viribus proprijs absque vilo auxilio gratiæ elicere dilectionem naturalem Dei. Adde: Nam valde connaturale est, & persè exactum, vt is, qui conatus fuit ad consequendam beatitudinem, illam consequatur; sed totus homo conatus fuit ad beatitudinem naturalem: ergo totus homo potest illam consequi. Hincque efficaciter refellitur prædicta evasio. Siquidem homo sibi relictus, sive in hac vita, sive in alia, conservaret discordiam appetitus cum ratione, nisi speciali Dei providentia, specialibusque auxilijs à pugna appetitus cohereretur, vt contingit in parvulis, iuxta dicta tract. præc. disp. 3. num. 103. & nihilominus consequeretur viribus proprijs suam beatitudinem naturalem: ergo non indiget ad eius consequutionem gratia aliqua speciali. Aliàs rediret argumentum nostræ rationis, nempe quòd intra prædictum statum necessariò esset mi-

miser, inanisque esset eius appetitus ad beatitudinem naturalem.

Secundò: Nam nulla beatitudo est debita, nisi ei qui apponit media necessaria ad illius consequentiam; sed medium necessarium ad consequentiam beatitudinis naturalis est dilectio Dei naturalis super omnia, sicut dilectio supernaturalis ad consequentiam beatitudinis supernaturalis: ergo vel dicendum est, quòd in altera vita non potest homo consequi beatitudinem naturalem viribus proprijs naturæ puræ: vel concedendum est, quòd in hac vita, & sibi relicta potest elicere dilectionem Dei naturalem super omnia.

§. IV.

Affertio secunda pro statu naturæ lapsæ.

49 **D**icendum est secundò, hominem lapsum posse potentia antecedenti, & in sensu diviso diligere amore naturali Deum super omnia, secus verò potentia consequenti. Hæc assertio quoad primam partem est quasi corollaria præcedentis, proptereaquæ æquæ conformis D. Thomæ.

Et probatur hac ratione: Nam homo in statu naturæ lapsæ habet ex vna parte easdem vires per modum actus primi, ac haberet homo in natura pura: siquidem non distinguitur in vtroque statu quoad prædictas vires nisi tantquam nudus, & nudatus donis gratuitis. Ex alia dilectio naturalis Dei super omnia eadem est in se obiective, hoc est non maiori difficultate obiectiva gaudens, in vno statu, ac in alio. Tandem homo lapsus ex terminis lapsus non habet maiorem discordiam appetitus cum ratione, vt perspicienti constat: ergo si homo in natura pura potest potentia antecedenti elicere sine viribus superadditis ex parte actus primi dilectionem naturalem Dei super omnia, etiam in statu naturæ lapsæ. Diximus ex terminis lapsus: per quod intelligitur homo absque aliqua dispositione, seu habitu positivo inclinante persè primò ad malum, sed præcisè cum nuda carentia iustitiæ originalis, in qua peccatum originale consistit.

50 Respondebis, dilectionem Dei naturalem super omnia esse in hoc statu naturæ lapsæ opus secundum se, & obiectivè difficilioris scilicet, prout in natura pura: siquidem in hoc statu includit propositum observandi directè omnia præcepta naturalia, & indirectè etiam supernaturalia, secus verò in statu naturæ puræ.

Contrà est. Nam non est amor Dei super omnia absolute adhuc in ordine naturali, quando non se extendit ad obediendum Deo quovis modo præcipienti: ergo in statu naturæ puræ vel non est possibilis dilectio Dei super omnia, vel in ea includeretur propo-

rum observandi non solum directè præcepta naturalia, sed etiam indirectè, implicite, & virtualiter præcepta supernaturalia, si darentur, ac proinde quoad hoc nullum est discrimen in vtroque statu. *Adde*: Quia stare potest in homine lapsus ignorantia invincibilis totius ordinis supernaturalis, vt tenent communiter Thomistæ, & Theologi cum D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 1. ergo tunc dilectio Dei naturalis super omnia non esset ex se, & obiectivè difficilior, quam in statu naturæ puræ.

51 Probatur secundò ratione: Sicut homo in natura pura tenetur ad dilectionem Dei super omnia, ita homo lapsus; sed præceptum vltimum non obligat nisi valentibus illud adimplere, dummodò per ipsos non stet per proprium peccatum non habere potentiam ad eius imperionem: ergo homo lapsus habet vires sufficientes in actu primo ad dilectionem Dei naturalem super omnia. Maior videtur certa; aliàs homo reportaret commodum ex suo peccato originali, vel actuali. Maxime, quia sententia D. Thom. quam omnes eius discipuli teneant, de impossibilitate peccati originalis cum solo veniali, aliter non potest defendi, nisi tale præceptum obliget hominem adhuc lapsum, & omni gratia carentem, dum primò pervenit ad vsum rationis.

52 Respondebis primò, Deum omnibus offerre auxilia sufficientia: & hoc sufficit, vt omnes teneantur ex tali præcepto ad diligendum Deum super omnia.

Contrà est. Nam, vt num. 46. diximus, non sufficit oblatio auxiliorum cum impotentia ad ea postulanda; sed possibilis est casus, quòd inter talis obligatio, & quòd nullum auxilium possit petere: ergo signum est, quòd nullum auxilium requiritur ex parte actus primi ad prædicti præcepti adimpletionem. Probatur minor: nam possibilis est casus, quòd homo lapsus habeat sufficientem noticiam Dei auctoris naturalis absque vlla notitia Dei auctoris supernaturalis, aut alterius providentiæ specialis; sed tunc obligaret præceptum diligendè naturaliter Deum super omnia, & non posset talis homo petere auxilium aliquid præter concursum generalem spectantem ad statum naturæ puræ: ergo. Maior ex nullo capite repugnat, & defectò contingit in pluribus, vt nonnulli Thomistæ concedunt. Minor quoad primam partem est certa; aliàs sententia D. Thom. de impossibilitate peccati venialis cum originali non posset sustineri. Maxime, quia cum prædicta notitia simul lumine naturali innotescit prædicta obligatio, vt diximus de homine in natura pura. Quoad secundam verò suadet: nam talis homo careret omni auxilio gratuito tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis: ergo careret etiam notitia omnium auxiliorum tam supernaturalium, quam aliorum

rum spectantium ad aliam specialem providentiam; sed nullus potest petere, quod non cognoscit: ergo non posset petere nisi concursum communem omni creaturæ.

53 Respondebis secundò, Deum iuxta præsentem providentiam omnibus ad vsum rationis perveniens conferre auxilia sufficientia ad eius impletionem.

Contrà est. Primò, quia non occurritur casui non metaphysico, quem proposuimus. ¶ Secundò. Nam prædicta auxilia sunt supernaturalia, & præcisè conferuntur ad tollendum obicem peccati, ac proinde potius conducunt ad potentiam consequentem, quam ad potentiam antecedentem. Et si sunt merè naturalia, non conducunt ad eius impletionem, prout conducit ad salutem, & ad iustificationem, vt supponimus: & ita vel non præstant vires sufficientes: vel idem concedendum est de viribus communibus naturæ.

54 Secundà pars conclusionis, quæ expressè docetur à D. Thom. in præf. art. 3. breviter, & efficaciter probatur: Nam dilectio naturalis Dei super omnia nequit coexistere cum peccato, nec illud potest expellere: ergo homo lapsus non habet potentiam consequentem, seu in sensu composito ad prædictam dilectionem. Antecedens quoad secundam partem est omnino certum: siquidem est actus naturalis, ac proinde nec formaliter, nec dispositivè excludit peccatum, sicut nec disponit ad iustificationem. Quoad primam vero probatur primò: nam omne peccatum saltem in homine elevato avertit eum à Deo non solum vt sui supernaturali, sed etiam naturali; sed amor naturalis Dei super omnia est conversio efficacis ad Deum finem naturalem: ergo nequit coexistere cum peccato. *Secundò*: Nam homo per peccatum est conversus ad bonum commutabile tanquam ad vltimum finem, vt iam alibi diximus, per prædictum actum convertitur ad Deum tanquam ad vltimum finem naturalem; sed repugnat, quòd homo sit conversus simul ad duos fines vltimos adequatos, vt ex alibi dictis supponimus: ergo idem quod prius.

§. V.

Argumenta contra primam assertionem.

55 **A**rguitur primò contra primam assertionem: Nam dilectio Dei super omnia refert suum principium, & omnia sua in Deum vltimum finem, & sic Deum appetit, quod propter ipsum omnem eius offensam vitæ; sed ad hoc requiritur aliquid auxilium gratiæ specialis: ergo ad dilectionem naturalem Dei super omnia requiritur gratia specialis. Minor probatur: nam ad illud requiritur, quòd pars inferior subdat superiori, ne

inclinat in bonum sensibile dissonum rationis; sed pars inferior non subditur superiori absque gratia aliqua speciali, quæ constituit statum naturæ integræ, vel absque aliquo auxilio, quod sit participatio integritatis: ergo vt homo se referat in Deum vltimum finem, ita ut appetat Deum super omnia, quæ eum graviter offendant, est necessarium aliquid auxilium gratiæ.

Ad hoc argument. respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Et ad eius probationem neganda est maior: Siquidem ad hoc, vt homo se referat in Deum vltimum finem naturalem, & illum diligat amore ex omni capite appetitativo, non requiritur, quòd habitualiter, aut actualiter pars inferior subdat superiori, sed satis est, quòd ex appetitu sensitivo non insurgant vehementes motus, & passiones: nam si leves sunt, ratio superior potest viribus proprijs illos superare. Potest tamen contingere non solum in homine puro, sed etiam in homine lapsus, quòd saltem pro brevissimo tempore non insurgant prædicti motus vehementes, & propterea non habet notabile impedimentum, quod viribus proprijs non possit vincere, & sic poterit in statu naturæ puræ, vbi non est impedimentum peccati, diligere Deum super omnia.

56 Arguitur secundò: Nam in amore Dei super omnia continetur saltem virtualiter propositum efficacis adimplendi totam legem, non solum pro hoc, vel illo tempore, sed etiam pro tota vita; sed homo in pura natura non potest per totam vitam totam legem adimplere sine speciali gratia, vt supponimus: ergo nec potest habere sine illa propositum efficacis adimplendè totam legem, & consequenter nec elicere dilectionem.

Hoc argument. quo potissimè convincuntur adversarij, quis non videt posse contra eos retorqueri? Siquidem in eorum sententia homo iustificatus cum auxilijs communibus iustificationis, potest elicere actum dilectionis supernaturalis Dei super omnia, in quo includitur propositum efficacis observandi totam legem per totam vitam; & tamen in eorum sententia non potest per totam vitam adimplere totam legem absque specialibus auxilijs gratiæ, propter gravissimas difficultates, & vrgentes tentationes, quæ occurrunt ex discordia appetitus cum ratione in iustificato: ergo argumentum propositum eandem vim habet contra adversarios, qui tenentur ad illud respondere.

Nos verò respondemus iuxta divisionem amoris Dei efficacis absoluti, & appetitativi traditam num. 39. & admittam ab adversarijs, concedendo maiorem, & minorem; & negando consequentiam. Ex quo tantum potest inferri, quòd homo indiget gratia speciali ad amorena Dei efficacem, & super omnia appetitativum,

qui sit constans perfectus, & importans universalem observantiam totius legis, & actualem executionem propositi efficacis adimplendi totam legem, quod in omni amore Dei efficaci, & super omnia appetitativo includitur, & propterea dicitur amor *efficitivus*, & *habitualis*: scilicet verò ad amorem Dei absolutum, efficacem, & super omnia appetitativum, debilem tamen, & intra eandem lineam imperfectum ratione subiecti, qui ex se tantum dicit simplicem actum voluntatis, quamvis per eum homo referat se, & omnia sua ad Deum ultimum finem, & includat propositum absolutum, & efficacis ipsi placendi in omnibus, & observandi, quanti est ex se, totam legem per totam vitam.

Nec ex eo, quod parum duret, praedictum propositum, inferri valet non aduuisse. Quis enim negabit, D. Petrum habuisse firmum & efficacem propositum moriendi pro Christo ortum ex amore Dei super omnia, dum dixit Ioan. 26. *Etiam si oportuerit memori tecum, non te negabo?* & tamen parum duravit, ut Christus illi praedixit. Quis etiam negabit, quod qui accedit ad Sacramentum poenitentiae cum attritione, seu contritione includente in se propositum efficacis non amplius graviter peccandi, verè recipiat fructum Sacramenti, quamvis oblata postea occasione, vel insurgente gravi tentatione, plures delinquant? Aliud enim est elicere propositum efficacis observandi totam legem, prospectis à longe, & quasi speculative difficultatibus quae possunt occurrere; aliud verò experiri hic, & nunc praedictas difficultates. Quis enim inficiabitur, quod est longè maior difficultas conservandi propositum efficacis circa adimpletionem totius legis, quando hic & nunc occurrunt graves difficultates, & tentationes, quam dum haec à longè, quasi speculative, & in confuso representantur? Hinc ergo dicimus, quod licet homo indigeat specialibus auxiliis gratiae ad actualem, & exercitam adimpletionem totius legis per totam vitam, aut longo tempore, quia practice occurrunt praedictae difficultates & tentationes, non propterea legitime inferatur, quod non possit aliquando sine illis elicere propositum efficacis & absolutum illam adimplendi, nimirum quando appetitus vehementer non insurgit contra rationem.

57 Arguitur tertio: Dilectio naturalis Dei non procedens à gratia sistit tanquam in ultimo fine in bono proprio diligentis: ergo, ut referatur in Deum ultimum finem, est necessaria gratia specialis. Antecedens fundatur in duplici axiomate Arist. primum est, *Amabile bonum unicuique proprium*: secundum est, *Amabilia ad alterum ex amabilibus ad se*. Ex quibus potest suaderi ratione: nam propterea actus charitatis respicit ut ultimum finem Deum,

quia procedit à gratia, quae est participatio formalis naturae divinae: ergo quando dilectio procedit tantum à natura creata, in eam reflectitur tanquam in suum ultimum finem.

Hoc argumentum si aliquid valet, probat, impossibile esse amorem naturalem Dei super omnia, si se procedat tantum à natura, si ve ab aliquo auxilio gratuito, si ve ab homine iustificato, dummodo ipsa gratia habitualis non insinat in substantiam ipsius amoris; quod non concedunt adversarij; & merito, alias esset actus charitatis. Quòd ex argumento hoc inferatur, patet: quia talis amor debet reflecti in naturam, à qua procedit, & propterea ostendimus alibi, quòd omnis actus peccatoris, etiam supernaturalis, respicit bonum proprium sui ipsius ut ultimum finem. Debet ergo supponi ad statum quaestionis, quòd talis amor est possibilis, & quòd non indiget gratia habituali tanquam principio elicenti. Et in hac suppositione dicendum est, quòd non reflectitur in bonum proprium ipsius diligentis, sed sistit in Deo, ad ipsamque ultimam ordinatur, & omnia refert. Pro quo videri potest D. Thom. 1. part. quaest. 60. art. 5. ad 3. & quodlib. 1. art. 8. ad 3.

58 Arguitur quartò: Nam si homo in natura pura, & absque gratia posset diligere Deum super omnia, etiam posset dolere de peccato propter Deum summè dilectum, si peccaret: quia non est maior difficultas ad dolorem, quam ad amorem, nec vnum peccatum tollerententiam ad amorem; hoc autem non debet admitti, quia est contra Concilia, & SS. PP. qui aiunt remissionem peccati non posse fieri nisi ex divina gratia: ergo nec amor naturalis Dei super omnia potest heri sine gratia.

Hoc argumentum tangit difficultatem non levem circa remissibilitatem peccati, quod committeretur in natura pura, cuius resolutio spectat ad tract. de Iustific. Interim supponendum est cum omnibus, quod in hoc statu non requiritur gratia habitualis per modum principij elicentis ad dilectionem Dei naturalem super omnia; & tamen si quis peccet contra legem naturalem directè, requiritur ipsa gratia habitualis per modum principij elicentis ad dolorem de illo, prout conducit ad illius remissionem.

Respondetur ergo ad argumentum, negando sequelam maioris. Nam quidquid sit, an ex obiecto sit difficilior dolor de peccato commissio propter Deum summè dilectum, quam amor Dei super omnia, vel non; certum est omnino, quòd natura pura post peccatum maneret, sicut nunc homo post lapsum. Et sicut homo post lapsum non potest potentia consequenti diligere naturaliter Deum super omnia, nec dolere ex motivo naturali de peccato propter Deum summè dilectum; pariformiter non hoc pos-

posset in statu naturae purae. ¶ Ultimo solet argui ex eo, quòd amor Dei naturalis est dispositio ad gratiam; & nemo potest se disponere ad illam nisi per gratiam. Sed ad hoc infra constabit. Interim potest retorqueri contra Adversarios, asserentes hominem conditum in integritate naturae posse absque alia gratia speciali non constituitur praedictum statum elicere dilectionem naturalem Dei; & non propterea se disponeret ad gratiam.

§. VI.

Argumenta contra secundam assertionem.

59 **C**ONTRA secundam assertionem, arguitur primò adversarij pluribus testimonij Conciliorum, & SS. PP. quae omittimus, quia facile possunt exponi, vel de dilectione Dei supernaturalis; vel (si loquuntur de dilectione Dei naturalis) de potentia consequenti. Secundo arguitur ex paritate hominis pari, putantes hunc non posse sine speciali gratia diligere naturaliter Deum super omnia. Quòd argumentum etiam omittimus propter huculque dicta. His ergo argumentis misis:

Arguitur primò: Nam liberum arbitrium per peccatum est attenuatum & infirmatum, itaut non possit quantum poterat in statu naturae integre; sed potissimum opus, quòd homo poterat in statu naturae integre, erat diligere Deum super omnia ut finem naturalem: ergo hoc non potest in statu naturae corruptae.

Sed hoc argumentum leve est: quippe sequitur ex eo, quòd homo in statu naturae purae non possit potentia antecedenti diligere Deum super omnia ut finem naturalem. Dicimus ergo, quòd dilectio Dei super omnia, ut finis naturalis non est opus speciale naturae integre: alias requireretur ad illud talis status, donaque illius constitutiva, vel auxilium supernaturale per modum elicentis; & vtrumque negant adhuc Adversarij. Potest tamen illud opus dici speciale, & potissimum illius, quatenus nulla ibi adesset difficultas orta ex rebellione appetitus, quae vel non esset, vel medijs donis naturalibus constitutibus illum statum facillimè posset compeisci. Ex quo tantum potest argui, quòd natura pura, aut lapsa non potest cum tanta facilitate illud elicere, scilicet verò quòd absolute non possit modo descripto in nostris assertionibus. Praeterquamquòd potest dici, quòd amor Dei naturalis super omnia perfectus, constans & diu durans est peculiaris illius status, quia hic non potest elici nisi mediantibus donis constitutibus integritatem naturae, vel continuatis & repetitis auxilijs, quae sint quaedam participationes praedictorum donorum. Sed hoc non tollit, quòd natura pura, & lapsa possint elici-

tere amorem efficacem Dei super omnia, qui intra lineam efficacis sit imperfectus, & parum duret.

60 Arguitur secundò: In efficaci dilectione Dei finis naturalis in statu elevationis includitur saltem implicite propositum efficacis adimplendi totam legem supernaturalem, quia debet includi propositum efficacis placendi Deo in omnibus, ad quae homo tenetur; sed hoc propositum non potest elici per vires ipsius naturae, sicut nec observatio legis supernaturalis: ergo homo in hoc statu naturae lapsae, in quo habet elevationem ad finem supernaturalem, non habet vires sufficientes ex parte actus primi sine speciali gratia ad dilectionem naturalem Dei super omnia.

Hoc argumentum si esset efficacis, probaret imprimis, quòd homo adhuc constitutus in gratia non posset elicere dilectionem Dei naturalem super omnia sine auxilio supernaturali per modum principij elicentis, quia hoc necessarium est ad implenda praecipua supernaturalia saltem affirmativa. Hoc autem est falsissimum, ut plures etiam ad adversarij descendunt: & merito; quia supponitur, quòd talis dilectio est naturalis; & ad actum naturalem non insinat elicitive gratia supernaturalis. Probaret insuper, quòd in statu naturae purae, & integre non posset elicere praedictam amorem: quia quamvis in praedictis statibus nullum esset praecipuum supernaturale, adesset tamen in illis dictamen naturale dictans, parendum esse Deo legitime praecipienti, consequenterque dictaret virtualiter & indirectè, quòd Deo obediendum est, si praeciperet aliquid supernaturale.

Respondetur ergo, quòd in homine lapsa vel supponitur cognitio Dei finis supernaturalis, & auxilia supernaturalia ex se sufficientia ad adimpletionem praecipitorum supernaturalium; vel nihil horum supponitur? quia ex meritis naturae lapsae post pacto procedebat nostra assertio, haec non postulatur. Si dicatur hoc secundum, idem dicendum est de illo quoad potentiam antecedentem, ac de homine puro, ut supponitur: quia dictamen naturale dictans obedientiam Deo praestandam in omnibus eo modo se extendit ad praecipua supernaturalia in vno, ac in alio. Si dicatur primum, potest imprimis dici, quòd amor Dei naturalis super omnia viribus solius naturae elicitus se extendit ad implenda praecipua negativa supernaturalia: quia observatio illorum non importat aliquem actum supernaturalem, sed praecise negationem actus mali, v. g. carentiam odij Dei finis supernaturalis, & aliorum actuum similium, ad quam, ut ex se constat, non requiritur actus supernaturalis. Deinde quoad praecipua supernaturalia affirmativa, quorum observatio necessario fit per actus supernaturales, satis est, quòd

indirectè amor naturalis se extendat ad eorum adimpletionem: non ita quòd positivè influat in eorum adimpletionem, sed præcisè quòd connotet exclusionem violationis eorum. Hoc enim, & non amplius prærequirit propositum efficacè inclusum in amore naturali Dei super omnia, ut liquet in eo, qui cum amore supernaturali Dei super omnia coniungeret amorem naturalem eiusdem Dei super omnia, ut in Angelo bono contingit.

61. Contra partem posteriorem eiusdem conclusionis arguitur tertio: Nam demones habent dilectionem Dei naturalem super omnia, ut admittit D. Thom. 1. part. quæst. 61. art. 5. ad 5. Et constat ex eo, quòd talis amor est Angelo necessarius quoad exercitium, ut probavimus in suo tract. Item illam admittit in animabus puerorum, qui existunt in limbo, ut videri potest in 2. dist. 33. quæst. 2. art. 2. ad 5. Ergo homo in peccato existens habet non solum potentiam antecedentem, sed etiam consequentem ad dilectionem naturalem Dei super omnia.

Ad hoc argument. misis aliorum solutionibus ut insufficientibus: Respondetur, quòd nec demones, nec anima puerorum in limbo existens diligunt Deum amore naturali absolute super omnia, ad quem quidem requiritur (ut sæpè diximus) quòd præferat Deum omnibus, quibus quovis modo præcepta naturalia violari possunt. Hæc autem violari possunt non solum directè, hoc est per violationem præceptorum naturalium, relatè ad ea quæ ab eis directè præcipiuntur, sed etiam indirectè, nimirum per violationem præceptorum supernaturalium, ad quorum observantiam dictamen, & lumen naturale se extendit indirectè, quatenus dicitur, *Parendum est Deo quovis modo præcipienti, quiaarendum est cuilibet superiori legitime præcipienti.* Unde amor Dei naturalis super omnia appetitativus, & (ut sic dicamus) obedientialis locum non habet cum violatione actuali, aut habituali alicuius præcepti supernaturalis, & consequenter nec cum privatione gratiæ. Igitur cum demones, & animæ puerorum existentium in limbo habeant suam transgressionem saltem habituales præcepti supernaturalis, proindeque privationem gratiæ, inde est, quòd non habent amorem Dei naturalem absolute super omnia.

Et ut hoc magis appareat, tam in demone, quam in animabus in limbo existentibus: Nota, Deum ligasse Angelum, & hominem in statu innocentie præcepto supernaturali, ut ita diligenter suam excellentiam naturalem, quòd illam ordinarent in Deum finem supernaturalem, & positivè non filterent in ea, nec in amore naturali illius, & Dei finis naturalis. Tunc ergo lumen naturale dictabar saltem indirectè, quòd prædictus amor ordinaretur in

Deum finem supernaturalem, in quantum ad erat præceptum diligendi Deum finem supernaturalem super omnia, & subiiciendi se, & omnia sua prædicto fini. Contigit autem, quòd uterque appetijt cum sua excellentia omissionem, & abiectionem prædictæ ordinationis in Deum finem supernaturalem. Et propterea quamvis in utroque, vel saltem in Angelo, manserit dilectio Dei naturalis quoad entitatem, utpote necessarius quoad exercitium, haud mansit tamen ut amor Dei naturalis absolute super omnia, & appetitativus. ¶ Nec ex hoc inferas, quòd in utroque præcessit aliquis error, cum uterque appetierit expressè aliquid mali, videlicet abiectionem prædictæ ordinationis. Nam prædicta abiectio non est secundum se mala, nisi ut collata cum præcepto, & Angelus, aut homo non iudicavit eam sibi convenientem hic & nunc ut collatam cum præcepto, sed præcisè iudicavit esse sibi convenientem absolute. Uterque tamen peccavit ex inconsideratione: quia voluntariè non consideravit illam abiectionem, ut collatam cum præcepto, cum debuisset illam sic considerare. Pro quo videantur, quæ diximus tract. præc. disp. 2. num. 159.

Ex quibus planè inferitur, quòd nec in Angelo, nec in pueris in limbo existentibus amor Dei (quem concedit D. Thom.) est absolute super omnia. Colligitur etiam, quòd Angelus peccavit, & nunc etiam peccat per prædictam abiectionem positivam, quia appetijt, & semper appetit illam, ut collatam vel cum præcepto, quòd extitit, vel cum præcepto negativo nunc existentè de non abiectione regulam possibilem, vel conditionatam: ita enim eius voluntas est in malo firmata, ut non solum appetat nunc, & persistat in amore expresso propriæ excellentiæ, & prædictæ abiectionis ut collatæ cum illo præcepto, sed etiam nunc se extendat conditionate ad simile, aliud præceptum possibile, quasi dicat, *Non solum appeto, & complaceo in mea excellentia ut exempta à prædicto præcepto, sed etiam complaceo in ea, etiamsi continuaretur tale præceptum.* Quod obiectum prohibet semper præceptum humilitatis, & frangitur à diabolo per suam superbiam. Animæ verò puerorum existentium in limbo præcisè se habent ad inordinationem in finem supernaturalem; & aliunde non omerantur prædicto præcepto positivo ordinandi amorem suum naturalem in finem supernaturalem, cum sint in termino: & propterea non peccant ex defectu prædictæ ordinationis.



§. VII.

Difficile argumentum contra posteriorem partem secundæ assertionis.

62. **U**ltimò arguitur, & procedit contra eandem posteriorem partem secundæ assertionis. Nam omnis homo primò perveniens ad usum rationis tenetur præcepto naturali diligere Deum finem naturalem super omnia, dum propter ignorantiam invincibilem non potest efficaciter converti in Deum finem supernaturalem: ergo omnis homo primò ad usum rationis perveniens potest non solum potentia antecedenti, sed etiam consequenti diligere Deum finem naturalem super omnia. Probatè consequentia: nam ad hoc, ut homo teneatur ad aliquem actum, omnino requiritur potentia expedita per modum actus primi: nam si potentia, aliis sufficiens, est quasi captiva & ligata, est absolute impotentia, & sufficiens ut non imputetur carentia actus, maxime si per ipsum non stat habere ligamen seu impedimentum; atqui homo primò perveniens ad usum rationis non supponit impedimentum per actum propriæ voluntatis causatum: ergo vel non tenetur præcepto naturali ad dilectionem Dei finis naturalis super omnia: vel omnis homo primò perveniens ad usum rationis habet potentiam expeditam ad illum, estò careat gratia habituali, qua careant omnes non baptizati primò ad illud tempus pervenientes.

Hoc argument. sanè difficile est, cum ex se, tum ex difficultate defendendi doctrinam D. Thom. de impossibilitate peccati venialis cum solo originali, circa quod plura diximus tract. præc. disp. 3. dub. 1. append. præcipue num. 121. Sed illius doctrinæ exactum examen ad hunc locum remissum est, & propterea oportet aliquantulum immorari, quia materia ex se satis implexa id exigit.

Respondetur ergo concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, quòd omnis homo perveniens ad usum rationis non solum habet vires sufficientes ex parte actus primi ad dilectionem Dei naturalem, sed conferuntur ei auxilia sufficientia supernaturalia, ut possit in sensu composito, & potentia consequenti saltem remota prædictum præceptum adimplere, prout conducit ad salutem. Cum hoc tamen discrimine, quòd ijs, quos Deus decernit converturos & adimpleturos præceptum, tribuit gratiam sanctificantem media dispositione proxima illius, videlicet actû fidei, & charitatis, non ut præstet vires ad implendum præceptum (ad hoc, ut diximus, sufficienti vires naturales ipsius voluntatis) sed ut tollat impedimentum peccati, quo potentia erat ligata. Illius autem, quos decer-

nit non converturos, tribuit alia auxilia remotè conducentia ad salutem, per quæ salvatur potentia remota expedita ad implendum præceptum, prout conducit ad iustificacionem: quibus homo, si bene utatur, infallibiliter Deus conferet gratiam habituales, iuxta illud axioma, *Facienti, quod est in se* (subintelligitur *viribus gratiæ*) *Deus non denegat gratiam.* Non tamen hi convertentur, quia deerunt auxilia efficaciacia. Nec ob hoc Deus frustra confert prædicta auxilia, sciens hominem illis non usurum, sicut multoties concedit auxilia proxima sufficientia, & denegat auxilia efficaciacia, sine quibus præcepta non implentur, ut liquet in apostatis Angelis. Hinc plane constat, puerum pervenientem ad usum rationis nullatenus excusari, si præceptum non adimplet: neque dari potentiam expeditam proximam ad impletionem præcepti sine gratia habituali. Hincque aperte colligitur, peccatum non coniungi cum solo originali: nam si puer adimplet præceptum: iam habet gratiam habituales remissivam peccati originalis; & si non adimplet, incidit in peccatum lethale.

63. Sed obijcies: Nam plures sunt infideles negativè, ut tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 1. sed cum collatione prædictorum auxiliorum non stat infidelitas negativa, cum ex illis quædam disponant ad fidem, & alia ad conversionem supernaturalem: ergo falsum est conferri prædicta auxilia.

Hæc obiectio, ut liquet, potius pertinet ad illam controversiam, an Deus omnibus adultis conferat defectu auxilia sufficientia conducentia ad salutem? cuius resolutio manet firmata in tract. 4. disp. 3. Et ex ibi dictis respondetur primò, quòd infidelitas negativa non datur in primo instanti vsus rationis, licet in pluribus deur post aliquod tempus: & in hoc sensu potest exponi D. Thom. Et ratio est: quia infidelitas negativa est totalis ignorantia eorum, quæ spectant ad fidem: hæc autem nequit compati cum collatione auxiliorum spectantium saltem reductivè ad fidem, quæ non solum consistunt in aliqua qualitate se tenente ex parte actus primi, sed etiam ex parte actus secundi, quia prima cognitio in qualibet linea debet esse necessaria. Ratio verò, cur in prædicta suppositione non deur infidelitas negativa, est, quia media hæc illustratione homo ita edocetur interius, ut possit petere alia auxilia perfectiora, nempe fidem, & charitatem. Unde si remisè se habet, imputabitur ei ad culpam. At quia talis illuminationis naturaliter potest oblivisci, propterea potest in pluribus dari infidelitas negativa. Ita respondet Goidoy, Ferre, & alij.

Secundò respondetur cum NN. Salm. & Ioanne à S. Thoma, admittendo in pueris primò ad usum rationis perveniens infidelitatem negativam cum prædicta cognitione. Nam licet illu-

illustrentur illa cognitione supernaturali; atamen divina cum tanta confusione proponuntur credenda in illa tam tenebra aetate, quod perceptio eorum quasi pro non audito reputetur. Et propterea habent infidelitatem negativam, vique dum magis explicitè, vel per externam prædicationem, vel per aliam internam clariorem illuminationem illustrentur, Quæ doctrina desumitur ex Apost. ad Rom. 10. vers. 14. dicente: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?*

64. Sed quæres, cur illa exigua cognitio sufficit ad ignorantiam invincibilem fidei, & non sufficit ad ignorantiam invincibilem circa præceptum charitatis: cum ex vna parte cognitio explicita fidei sit necessaria pro hoc statu ad actum charitatis, & præceptum fidei æquè obliget, ac præceptum charitatis?

Respondetur, non esse ita certum ut præceptum charitatis omnes obliget, stante cognitione illa adeo exigua finis supernaturalis. Sed dato, quod obliget, dicendum est, quod ad obligationem credendi requiritur, quod mysteria fidei expressè notificentur: non enim credimus nisi ea mysteria principalia, quæ expressè, & in particulari audimus, licet implicitè credamus ex præcepto omnia ea, quæ in sacris libris continentur. Ceterum vt diligamus, sufficit, quod bonitas nostris Authoris in confuso proponatur. In cuius signum valet, quod fides nunc Deum nobis proponit obscure, & in enigmate; & tamen tenemur eum diligere, in seipso. *Adde:* Quia non est improbable, quod in illo primo instanti non detur obligatio ad credendum nisi per accidens, nimirum quatenus est necessaria propositio Dei per fidem ad eum diligendum. Hæc diximus ad componendum doctrinam D. Thom. de impossibilitate peccati venialis cum solo originali, & occasione præcepti ad diligendum Deum finem naturalem, ad cuius adimpletionem proculdubio requiritur per modum removens prohibens gratia habitualis.

65. Sed replicabis, ex tota hac doctrina sequi omnem hominem pervenientem ad usum rationis teneri ad dilectionem Dei finis supernaturalis, & non ad dilectionem Dei finis naturalis. Primum constat ex proximè dictis. Secundum ex eo, quod præceptum ad dilectionem naturalem solum obligat in absentia præcepti ad dilectionem supernaturalem; cum per hanc factis adimpleatur præceptum dilectionis naturalis.

Ad hanc replicam respondetur, quod cognitio Dei authoris naturalis cum lumine synderesis prælo adit, & tunc primò incipit obligare præceptum dilectionis naturalis. Et vt nullus ab eius adimpletione excusetur propter impedimentum peccati, sufficit, quod homo infectus peccato originali gaudeat potentia antecedenti ad eliciendum dilectionem Dei naturalem su-

per omnia, quam hominem lapsum habere ostendimus num. 49. atque ideo peccat in omissione huius dilectionis in primo instanti vsurrationis, in quo vrget præceptum ad illam. Semel autem, quod dilectionem supernaturalem elicit, satisfacit omni præcepto tunc obliganti.

DUBIUM IV.

An homo lapsus indigeat gratia speciali ad servanda omnia præcepta naturalia?

DE hoc dubio agit Div. Thom. in præf. art. 4. sub his verbis, *An homo sine gratia per sua naturalia legis præcepta implere possit.* Et infra art. 8. sub hoc titulo, *An homo sine gratia possit non peccare.* Sed utrumque articulum nos restringimus ad præcepta naturalia. Pro huius tamen controversiæ luce, nonnulla observanda, & supponenda sunt.

§. I.

Observationes, & suppositiones.

66. **O**bserva primò, præcepta naturalia dupliciter accipi posse: vel collectivè, quo pacto includunt omnia & singula præcepta simul sumpta: vel divisivè, & hoc modo significant singula præcepta seorsim accepta. Item præcepta alia sunt naturalia, quia versantur præcisè circa obiecta naturalia, & distantur à lumine sacra naturali: quo pacto essent præcepta, quæ obligarent hominem conditum in pura natura, & etiam obligant hominem lapsum, estò sit elevatus ad finem supernaturalem. Alia sunt supernaturalia, quia tendunt persè ad obiecta supernaturalia, qualia sunt obiectum fidei, spei, & charitatis, cæterarumque virtutum persè infusarum. Sub quibus comprehendendi merito possunt præcepta naturalia, si includant aliquem modum supernaturalem, sicut in iusto actus naturalis virtutis illum includit, ratione cuius est meritorius vite æternæ.

67. Pro quibus supponendum est primò, contra Pelagium, hominem in nullo statu posse adimplere sine gratia Dei speciali, & supernaturali præcepta supernaturalia. Ita colligitur ex pluribus testimonijs sacra pagine, quæ vsque ad nauseam referunt Authores. Ita decernunt plura Concilia, præsertim Trid. sess. 6. de Iustif. cap. 1. & can. 1. 2. & 3. vbi inquit: *Siquis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eiusdem adiutorio hominem credere, diligere, aut penitere posse, sicut oportet ad salutem, et ei iustificatiõis gratia conferatur, anathema sit.* Ita similiter proclamant SS. PP. præcipuè Au-

Dub. IV. An homo lapsus indigeat gratia speciali ad servanda omnia &c? 191

Augustinus pluribus in locis. Ex quibus omnibus deducunt Doctores catholici tanquam certum fidei dogma, hominem non posse sine gratia speciali, & supernaturali observare vllum præceptum supernaturalem.

68. Pari certitudine supponendum est secundò, hominem in omni statu indigere prædicta gratia ad observanda præcepta naturalia quantum ad modum, hoc est, prout observatio hæc conducit ad vitam æternam. Ratio est eadem utrobique: quia virtus ille est supernaturalis, elevatque actus virtutum naturalium, quibus adimplentur præcepta naturalia, ad finem supernaturalem; sed nullus actus quovis modo supernaturalis potest elici nisi media virtute supernaturali: ergo necessaria est gratia specialis, & supernaturalis ad implenda præcepta naturalia modo supernaturali, hoc est cum conducentia, ad vitam æternam. Unde merito in bulla Pij V. & Greg. XIII. propositio illa Baij, asserentis, *commentitiam, & explodendam esse distinctionem illam observationis præceptorum quantum ad substantiam, & quantum ad modum proscripta est.* Constat enim, quod potest stare adimpletio præcepti naturalis sine ordine charitatis præcisè cum motivo honesto persè intento ab eodem præcepto.

69. Supponendum est tertio contra Lutherum, & eius infestissimos sequaces, cum gratia Dei posse hominem adimplere omnia præcepta. Ita definit Trident. sess. 6. can. 18. vbi ait: *Siquis dixerit, Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Pro quo dogmate fidei possunt adduci plura testimonia sacra Scripturae, SS. PP. necnon plura decreta Pontificum, & Conciliorum, quæ omittimus brevitatibus causa. Quocirca tantum ad examen vocamus, an homo sine gratia possit adimplere sive divisivè, sive collectivè omnia præcepta naturalia quantum ad substantiam?

70. Pro quo supponendum est quartò, nullam gratiam præquiri ad observandum aliquod præceptum adhuc in natura lapsa. Tum quia, vt diximus dub. 2. non est necessaria gratia specialis in homine lapsò, & existente in peccato mortali ad exercenda aliqua opera honesta nulla circumstantia vitata, vt honorare parentes, salutare amicos, facere parvam elemosynam indigenti, ædificare domos, plantare vineas, & similia, vt aiebat D. Thom. art. 2. *Tum etiam:* Nam valde receptum est apud Theologos, quod multoties adimpletur præceptum per actum pravum, & infectum aliqua mala circumstantia, vt præceptum misericordie per elemosynam datam ex vanagloria; constat autem ad hunc actum nullam gratiam concurrere, nec præquiri: ergo non est necessaria gratia specialis ad impletionem vnius, vel

alterius præcepti naturalis quoad substantiam. Unde tota difficultas controversiæ reducenda est ad omnia præcepta, tam collectivè, quam divisivè.

71. Pro quo etiam supponendum est quinto, hominem in natura integra præter concursum Dei connaturalem illi statui non indigere alia gratia speciali ad observanda omnia præcepta naturalia tam collectivè, quam divisivè, sive ad parum, sive ad longum tempus, sive infest gravis tentatio, sive non infest. Ita Div. Thom. in locis supra relatis, & communiter Theologi, contra Vazquez. Et suaderi potest ex eo, quod in natura integra plura concurrunt ad eliciendum bonum morale, & vitandum omne peccatum, quæ non reperiuntur in homine lapsò, aut condito in natura pura, inter quæ primatum tenet subiectio appetitus ad rationem medijs habitibus, & perfectionibus constituentibus prædictum statum. Ideoque status dubij præcipuè reducendus est ad hominem lapsum. Ex cuius resolutione facile quis colliget, quid dicendum sit de homine in natura pura. Sed pro maiori luce, & distinctione.

72. Observa secundò, in hac controversia ex duplici capite oriri difficultatem: vel ex continuatione, & perseverantia observandi præcepta per longum tempus, sive omnia occurrant, sive tantum aliqua: vel ex multiplicatione illorum, quatenus omnia, sive per possibile, sive per impossibile occurrunt in vnicò instanti, aut in brevissimo tempore. Est enim alia difficultas ea, quæ desumitur persè ex perseverantia in bene operando, ab ea quæ oritur ex multiplicatione præceptorum determinatum tempus: sicut alia difficultas est, *an aliquis possit deferre pondus quinquaginta librarum per longum spatium:* vel, *an possit sustinere pondus centum librarum per breve spatium.* Præfens autem controversia solum procedit de difficultate orta ex multiplicatione præceptorum absque vilo respectu ad durationem temporis. Pariter in ea præfenditur à difficultate orta ex vrgentia gravis tentationis circa quodlibet præceptum determinatum: ne confundamus questiones ex se diversas.

73. Observa tandem (vt detur locus questioni) quòd in collectione præceptorum naturalium non debet comprehendì præceptum diligendi Deum finem naturalem super omnia, & alium quodecumque cum eo connexum, vel illum includens: Si enim supponatur, quòd homo sine speciali gratia nequit in statu naturæ lapsæ, aut pure diligere Deum finem naturalem super omnia, statim absque vilo proorsus dubio inferetur, quòd nequit omnia præcepta naturalia servare, sive collectivè, sive divisivè, sine speciali gratia, vt ex se liquet. Et præcipuè oportet

oportet, vt de hoc præcepto omnino præcindamus. Quibus suppositis, & prænotatis. Circa hanc difficultatem:

Duplex versatur sententia ex diametro opposita. Prima negat necessitatem gratiæ ad observanda collectivè omnia præcepta naturalia. Hæc solet tribui Scoto in 2. dist. 28. quæst. 1. Gabrieli ibidem quæst. 1. art. 2. Durando quæst. 3. & 4. & Abulens. Marth. 19. quæst. 177. & 178. Secunda affirmat, & defendit necessitatem gratiæ specialis pro observatione præceptorum naturalium collectivè. Ita communiter Theologi cum Ang. Doct. locis supra relatis. Quam sententiam elucidare conamur cum NN. Salmant. in præf. disp. 2. dub. 5. frequentibus assertionibus claritatis gratia: Et vt à facilioribus incipiamus, sit.

§. II.

Prima assertio pro præceptis divisivè acceptis.

74 **D**icendum est primò, hominem lapsum non indigere speciali gratia ad omnia præcepta naturalia divisivè sumpta observanda. Hanc credimus esse communem Theologorum, exceptis ijs, qui asserunt esse necessariam gratiam specialem in homine lapso ad operandum bene moraliter, & si præcindamus à dilectione Dei finis naturalis. Eamque expressè docet D. Thom. art. 8. supra relato, ubi ait: *Antequàm hominis ratio, in qua est peccatum mortale, repararetur per gratiam iustificatam, potest singula peccata mortalia vitare, & facundum aliquod tempus.* Idem docet ad 1. his verbis: *Homo potest vitare singulos actus peccati, non autem omnes.* En quomodò distinguit inter præcepta collectivè sumpta, & eadem divisivè accepta. Videatur insuper quæst. 24. de Verit. art. 1. ad 10. & art. 12. in corp. & ad argumenta secundè ordinis, præsertim ad 7. & 8. & lib. 3. Contra gent. cap. 160.

Et probatur ratione fundamentali: Nam homo lapsus potest potentia consequenti elicere sine gratia speciali omnes, & singulos actus, qui viribus proprijs sunt proportionati, & non sunt ex se impossibiles cum statu peccati; sed adimpletio omnium præceptorum naturalium, seclusa dilectione Dei, imprimis nullam impossibilitatem dicit ex se cum peccato, deinde, si sumatur seorsim, est actus proportionatus cum viribus proprijs hominis lapsi: ergo homo lapsus potest sine speciali gratia cum solo concursu generali Dei implere omnia præcepta naturalia divisivè sumpta. Minor quoad primam partem est omnino certa. Quoad secundam verò probatur: nam nullum præcep-

Disp. I. de Necessitate gratiæ.

tum est difficultius præcepto dilectionis Dei super omnia; sed prædicta dilectio est opus proportionatum viribus proprijs hominis lapsi, vt ostensum manet dub. præc. ergo etiam omnes, & singulæ observationes aliorum præceptorum naturalium, si seorsim sumantur.

75 Nec refert, si respondeas, quod vires naturales diminuantur per continuam observationem præceptorum.

Non, inquam, refert. Tum quia, si ita debilitantur vires corporales, vt sine eis absolute non possit homo adimplere præcepta aliqua, tunc talia præcepta non obligant; sed in præfenti assertionem loquimur de præceptis, ad quæ homo adhuc lapsus est obligatus: ergo prædicta responsio est extra rem. Tum etiam: Nam præcipua vires ad implenda præcepta sunt vires voluntatis; sed hæ non diminuantur vilo modo pro exercitium continuum servandi præcepta, quia sunt immateriales: ergo.

76 Probatur secundò ratione: Nam homo lapsus, & omni gratia destitutus, est obligatus ad implenda præcepta omnia naturalia, dum divisim occurrunt: ergo habet vires sufficientes, & expeditas ad eorum observationem. Antecedens supponitur; aliàs non peccaret in eorum inobservatione, quod ex parte est extra statum quæstionis. Consequentia verò probatur: nam obligatio cuiuslibet præcepti debet supponere potestatem sufficientem ad eius observationem, iuxta illud Trid. sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilita non iubet, sed iubendo monet & facere, quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat, vt possis.* Et iuxta illud Hieronym. in exposit. symboli ad Damasum: *Execramur autem eorum blasphemiam, impossibile aliquid à Deo præceptum esse.* Et denique iuxta illud Magni Parentis August. serm. 61. de Temp. *Deus neque impossibile aliquid potuit imperare, quia iustus est: neque damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare.*

77 Respondebis, satis esse ad hoc, vt homo teneatur ad implenda præcepta, quod impotentia sit voluntaria in causa. Quod omni homini post vsum rationis contingit, si postea caret auxilijs sufficientibus ex se requisitis ad impletionem præceptorum: siquidem Deus omnibus in primo instanti vsum rationis confert auxilia sufficientia necessaria ad observanda præcepta tunc occurrentia, & offert alijs, si bene se gesserint: quinimò & confert cætera, quæ requiruntur pro adimplitione aliorum præceptorum in alijs temporibus vitæ occurrentium. Unde si in primo instanti homo non adimplet præcepta tunc occurrentia, voluntariè abijcit à se omnem gratiam requisitam ad eorum adimplitionem, & se voluntariè indisponit ad recipienda alia auxilia pro alijs præceptis in alijs tem-

Dub. IV. An homo lapsus indigeat gratia speciali ad servanda omnia &c. 193
temporibus obligantibus, & propterea impotentia est illi voluntaria.

Contra est primò: Nam vt impotentia sit voluntaria, omnino requiritur, quod homo prævideat futura auxilia requisita ad observanda præcepta, quæ dekursu temporis occurrunt: requiritur etiam, quòd prævideat obligationem prædictorum præceptorum; sed hoc absque speciali revelatione fieri non valet: ergo impotentia ad observanda præcepta ex defectu auxiliorum non est voluntaria, proindeque vel concedendum est, non obligare præcepta; vel fatendum est, quòd independentè ab aliquo auxilio habet potentiam sufficientem, & expeditam ad eorum observationem. Tum etiam: Nam ex hac solutione inferitur, nullum dari infidelem negative: siquidem impotentia ad credendum esset voluntaria non minus, ac impotentia ad observanda alia præcepta; hoc autem est contra D. Thom. & contra communem sensum Theologorum: ergo.

78 Respondebis secundò, quòd, vt homo teneatur ad observanda præcepta, sufficit, quòd possit illa adimplere auxilijs, quæ Deus omnibus offert, aut confert. Unde Div. Thom. in præf. art. 4. ad 2. ait: *Id, quod possumus auxilio divino, non est nobis omnino impossibile, iuxta illud Philof. 3. Ethic. Quæ per amicos possumus, atque aliter nos possumus.* Et 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1. inquit: *Ad multa tenetur homo, quæ non potest facere sine gratia: sicut ad diligendum Deum, & ad credendum articulos fidei.*

Contra est. Nam imprimis non est credibile, quòd Deus intuitu præceptorum naturalium conferat auxilia gratuita semper, ac occurrat obligatio alicuius præcepti naturalis: deinde plures sunt, qui carent notitia illorum, vt liquet in barbaris, & enutritis in silvis, qui nihil de eis audierunt: ergo preparatio auxiliorum est, tanquam si non esset. Patet consequentia: quia nequeunt ea petere sine eorum notitia. Adde: Nam oblatio, & collatio prædictorum auxiliorum non habet locum in statu naturæ puræ; & tamen obligarent hominem in prædicto statu præcepta naturalia: ergo posset ea adimplere sine vilo recurso ad gratiam: ergo etiam homo lapsus. Patet hæc vitima consequentia: nam homo lapsus habet easdem vires naturales, ac homo in naturâ purâ, & solum addit impedimentum peccati ad diligendum finem naturalem super omnia, vt præc. dub. probatum est.

Neque ex D. Thom. oppositum convincitur. Siquidem loquitur de observatione præceptorum supernaturalium: vel de subiectis quibus defectò conferuntur aliqua auxilia, ratione quorum possunt petere ea, quæ necessaria sunt ad observanda prædicta præcepta, vel præcepta naturalia collectivè. Ex his omnibus

facile, & appetere deducitur, hominem in statu naturæ puræ posse adimplere omnia præcepta naturalia divisivè sumpta absque vilo auxilio gratiæ.

79 Sed obijcies. Plura sunt præcepta naturalia, quæ homo sine gratia nequit absolute adimplere: ergo non potest homo lapsus adhuc divisivè omnia præcepta naturalia adimplere absque auxilio gratiæ. Antecedens probatur primò: Nam actus penitentiae naturalis, qui fit defectu peccati propter Deum vitimum finem naturalem summe dilectum in defectu actus penitentiae supernaturalis, cadit sub præcepto, sicut de dilectione naturali Dei solet dici in defectu dilectionis supernaturalis; & tamen nequit elici viribus solius naturæ ab homine, vel lapso, vel puro, cum sit incompatibilis cum peccato, & peccatum non possit remitti sine gratia: ergo. Secundò: Nam tenemur iure naturæ diligere proximum sicut nos metipfos; & tamen ad hoc est necessaria gratia, cum in eius observatione includatur observatio totius legis, iuxta illud Apost. ad Rom. 13. *Qui diligit proximum, totam legem implevit:* ergo. Tertio: Nam amor inimicorum cadit sub præcepto; sed est adeo difficilis, vt nequeat sine gratia elici, & propterea numeratur inter opera egregia Santorum: ergo. Quarto: Nam adest præceptum naturæ servandi castitatem; & tamen nequit servari sine gratia, iuxta illud Sap. 8. *Scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum:* ergo. Quintò, & ultimo: Nam actus fortitudinis, quo vita exponitur pro defensione virtutis naturalis, v. g. castitatis, cadit sub præcepto; & tamen non videtur credibile, quòd ad illum sufficienter vires naturales, ergo &c.

Ad hanc obiectionem responderetur, negando antecedens, si in actibus attendatur præcisè difficultas substantialis proveniens ex obiecto; quidquid sit, si adiungatur alia difficultas accidentalis proveniens vel ex ingruentia gravis tentationis, vel ex continuatione in bene operando. Ad primum exemplum dicimus, quòd actus naturalis penitentiae, si est propter Deum summè dilectum vt finem naturalem, includit dilectionem Dei finis naturalis super omnia. Unde de eo dicendum est eodem modo, ac de ipsa dilectione, addita tamen doctrina quam tradidimus num. 51. *Accedit;* quòd hic actus, sicut & ipsa dilectio; non comprehenditur sub hoc dubio, iuxta dicta num. 73. ¶ Ad secundum responderetur, quòd præceptum diligendi proximum per dilectionem naturalem vel tantum obligat ad non ei nocendum, vel ad benefaciendum ei, dum necessitas occurrit: & prout sic potest viribus solius naturæ adimpleri. Vel obligat ad internum affectum efficacem, volendo ei bonum vt sic; qui, si non includit di-

lectionem naturalem Dei super omnia; nullum est caput, cur non possit elici viribus solius naturae. Prædictus tamen affectus non potest esse perfectus, & permanens, iuxta dicta num. 56. quia ad hoc necesse est, quod non solum affectivè, sed etiam effectivè, & per longum tempus observet præcepta naturalia, quæ ad bonum proximi spectant. Quo pacto intelligi valet dictum Apost. & propterea est extra statum quæstionis.

Per quod constat ad tertium. Nam eandem difficultatem præfert, si non adsit gravis tentatio orta ex affectu malevolentiae, & vindictæ. Si verò adsit, vt regulariter contingit, iam non pertinet ad hoc dubium, vt notavimus num. 72. in fine. ¶ Ad quartum eodem modo respondetur, quod homo sine gratia, & extra casum gravis tentationis potest se abstinere à delectationibus venereis seorsim sumptis. Aliter dicendum est de eis collectivè acceptis, aut de qualibet seorsim sumpta, dum adest gravis tentatio. Sed iuxta utrumque sensum non pertinet ad hoc dubium. ¶ Ad ultimum respondetur, quod si hæreticus se exponit periculo vitæ sine vlla gratia propter dejectionem assensus hæreticis; cur homo sine illa non poterit illam exponere propter honestatem virtutis naturalis? *Accedit*; quod regulariter insurgit gravissima tentatio contra bonum prædictæ virtutis orta ex amore naturali vitæ; & timore mortis, & ita non spectat ad hoc dubium.

§. III.

Assertio secunda pro præceptis collectivè acceptis.

80 **D**icendum est secundò, hominem in statu naturæ puræ non posse sine gratia speciali omnia præcepta naturalia collectivè servare. Ita D. Thom. locis relatis in limine huius controversiæ. Et missa probatione ab autoritate; siquidem testimonia tam Script. quam Conciliorum, & SS. PP. possunt convenienter exponi in eo sensu, quo Pelagius negabat necessitatem gratiæ ad servanda præcepta, videlicet cum fructu, & merito vitæ æternæ; vel collectivè intelligendo per ly omnia præcepta naturalia, & simul supernaturalia. Missa, inquam, hac probatione, quæ potest videri apud expositores Div. Thom. & præcipue apud NN. Salmant.

Probatum ratione: Nam implere totam legem naturalem collectivè est opus proprium hominis sani, & integri; & integri in puris naturalibus, sive in statu naturæ corruptæ non potest servare collectivè omnia præcepta naturalia sine gratia. Consequentia est lumine

naturali nota: siquidem certum est, hominem infirmum non posse absolute totum id, quod potest sanus. Undè vel negandum est, quod observatio omnium præceptorum collectivè est opus proprium hominis sani, & integri; vel fatendum est, quod homo sive lapsus, sive in puris naturalibus, non potest servare collectivè omnia præcepta naturalia sine speciali gratia. Antecedens ergo, in quo tantum est difficultas, suaderetur. Tum à simili operum naturalium: nam facere omnia opera physica absque vllò defectu physico, est proprium hominis physice sani: ergo pariter implere collectivè omnia præcepta naturalia est opus proprium hominis sani, & integri in linea morali. Tum etiam: nam aliquod opus debet assignari in linea morali, quod sit proprium hominis sani & integri, ad quod homo non integer non habet sufficientes vires; sed nullum aliud commodius potest assignari præter observationem omnium mandatorum naturalium collectivè: siquidem ad quodlibet eorum seorsim sumptum homo lapsus habet vires sufficientes ex parte actus primi, & in puris naturalibus etiam habet eas expeditas; & aliunde observare totam legem naturalem collectivè in nullo deficiendo est opus difficilimum in ordine naturali morali: ergo idem quod prius.

Respondetur forsàn, quod observare omnia præcepta naturalia collectivè absque difficultate est opus proprium hominis sani & integri, quod non tollit, vt homo infirmus, seu non integer possit cum difficultate etsi magna illa adimplere.

Contra est. Nam in linea physica vires hominis sani ita excedunt vires hominis infirmi, vt sanus possit aliquid, quod infirmus, seu non sanus absolute non potest: ergo idem dicendum est de homine non sano, & integro in linea morali.

81 Secundò probatur assertio ratione, per quam prædicta evasio veterius impugnatur: Nam homo in integra natura postulat, attenda connaturali providentia talis status, vt saltem in aliquibus Deus semper præbet suum concursum ad rectè agendum observando præcepta: ergo prædictus concursus est specialis gratia hominis non sani. Antecedens solum eget aliqui explicatione: homo enim sanus, seu in integra natura habet specialem perfectionem, ratione cuius poterat pars rationalis despotice cohibere appetitum sensitivum, ne traheretur ad aliquid exorbitans contra rationem: & ratione eiusdem perfectionis exigebat concursum Dei ad bene operandum in omnibus præceptis naturalibus. Et licet non esset contra eius naturalem exigentiam, quòd Deus aliquibus in nonnullis occasionibus denegaret suum concursum ad bene operandum propter intrinsicam defectibilitatem residentem adhuc in illo statu; ef-

set

ferretur contra talem exigentiam, si Deus non præstaret aliquibus vagè suum concursum ad bene operandum semper quia aliter non esset caput, unde cognosceretur perfectio, & integritas illius status. Itaque prædictus concursus, & si sit specialis gratia respectu naturæ secundum se, vt iam probavimus, non esset gratia respectivè ad hominem, vt integrum.

Consequentia verò probatur: Quia natura non sana, seu non integra in nullo individuo postulat uniformem concursum Dei ad semper bene operandum, quin potius postulat, vt multoties prædictus concursus omnibus denegetur: ergo concursus Dei ad semper bene operandum est specialis gratia hominis non sani. Consequentia est legitima: siquidem concursus indebitus, & supra exigentiam alicuius naturæ nequit non respectu illius esse specialis gratia. Antecedens verò, præterquam quòd videtur innegabile, probatur primò ipsa experientia: Nam si prædictus concursus esset debitus naturæ non sanæ, vel ipsa natura postularer, vt prædictus concursus in omnibus esset, ad suavem Dei providentiam spectaret conferre alicui individuo prædictum concursum ad semper bene operandum; atqui, sublata omni gratia, nullus est, vel fuit, cui sæpe sæpius prædictus concursus non denegetur: ergo non postulat in aliquo individuo vagè concursum Dei ad bene semper operandum. *Secundò*: Nam homo infirmus seu non sanus, quia post peccatum adhuc conservat aliquam inclinationem ad bonum, postulat, vt aliquando conferat Deus omnibus individuis suum concursum ad bene operandum; sed etiam habet propensionem ad malum ratione fomitis, & longè maiorem, quam ad bonum: ergo etiam postulat, vt etiam omnibus individuis aliquando prædictus concursus denegetur.

28 Quæ ratio, si bene perpendatur, aperte suadet, quòd observare omnia præcepta naturalia collectivè est opus connaturale naturæ integræ; & quòd concursus Dei, si alicui individuo in prædicto statu conferretur, non esset supra exigentiam illius status, nec esset specialis gratia respectu illius, quia ratione perfectionis propriæ illius status nullam inclinationem expeditam haberet ad peccandum; secus respectu naturæ infirmæ, seu non sanæ ob oppositam rationem. ¶ Non minus perspicue præoccupat nonnullas evasiones, quæ ei adhiberi possunt. Prima est, quòd inclinatio ad malum, ratione cuius natura infirma postulat, vt in omnibus suis individuis denegetur concursus Dei aliquoties ad bene operandum, satis ostenditur, in violatione præceptorum supernaturalium. *Secundà*: quòd opus naturæ integræ non solum est vitare omnia peccata collectivè, sed etiam venialia: nam non posse vitare venialia, apertum signum est naturæ non

integræ. *Tertià*, & *ultima*: quòd adhuc supposita exigentia in natura infirma, vt multoties denegetur concursus Dei ad bene operandum, adhuc non sequitur, quòd desint ei vires sufficientes ex parte actus primi ad semper bene operandum: quia prædictus concursus non dat posse, sed agere.

Omnes hæc evasiones (vt aiebam) manent satis præoccupatæ, si ratio proposita rectè perpendatur. ¶ *Prima*: Tum quia in ijs, quos non obligat vllum præceptum supernaturale, vel ratione ignorantie invincibilis, vel ratione naturæ puræ, adhuc remanet inclinatio ad malum ratione appetitus sensitivi seu concupiscentiæ: ergo in ijs datur exigentia ad hoc, vt in omnibus multoties denegetur concursus ad observanda præcepta naturalia. *Tum etiam*: Nam concursus requisitus ad servanda præcepta supernaturalia adhuc est supra exigentiam naturæ integræ, vt supponimus; ergo inclinatio, quam hæc natura habet ad semper bene operandum, & inclinatio, quam natura non sana habet ad aliquando deficiendum, solum possunt differre per hoc, quòd illa petit semper concursum Dei ad bene semper operandum in linea naturali morali; & ista petit, vt ei aliquando denegetur.

Similiter secunda: Nam falsum est, quòd vitare omnia peccata venialia sit opus naturæ integræ vt cumque sed est proprium naturæ integræ perfectissimæ, vt fuit in Adamo, & in Angelis, infra quam potest dari natura integra minus perfecta in linea integritatis: quæ non conferat potentiam ad vitanda omnia peccata venialia: sicut datur specialis status gratiæ, quæ dat posse ad vitanda omnia peccata mortalia; & non dat posse ad vitanda omnia venialia: ergo inclinatio ad malum, quam habet natura non integra, non satis ostenditur per hoc, quòd non possit vitare omnia venialia. *Adde*: Quia inclinatio hæc nature non sanæ non solum est ad malum leve, sed etiam ad grave: ergo non satis explicatur per hoc, quòd postulet negationem concursus ad vitanda venialia.

Tertià, & ultima etiam præclusa manent. Nam quamvis concursus divinus non det posse ad vitanda peccata; si tamen est debitus, debet supponere in natura virtutem sufficientem ad superimendam inclinationem eius ad malum: si enim hæc virtus non supponitur, talis concursus est supra exigentiam talis naturæ: ergo arguit impotentiam ad vitanda omnia peccata mortalia collectivè.

..*



§. IV.

Argumenta contra secundam, & principalem assertionem.

83 **A**dversus secundam assertionem arguitur primò: Nam homo in natura integra viribus solius naturæ poterat adimplere omnia præcepta naturalia collectivè: ergo etiam in natura lapsa, & pura. Probatur consequentia: tum quia liberum hominis arbitrium idem est quoad totam suam entitatem in homine integro, infirmo, & puris conflicto, cuius signum est, quòd liberè consentit in quolibet ex his statibus obiecto peccaminoso: ergo si potest in natura integra vitare omnia peccata moralia collectivè, etiam in natura pura, & infirma. Tum etiam: nam propensio naturæ infirmæ, & puræ ad malum solum affert quandam maiorem difficultatem, quam non habet natura integra; sed, supposita libertate in homine non integro, potest vincere illam absolute: ergo.

A hoc argument. respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ad utramque probationem illius dicendum est, quòd potentia ad vitanda omnia peccata moralia collectivè, seu ad observanda omnia præcepta, quæ ea concernunt, non solum affert libertatem ad consentiendum, vel dissentiendum in singulis eorum, sed etiam absolutam potestatem ad supprimendam inclinationem appetitus sensitivi ad malum. Nam si hæc non adfit, poterit quidem voluntas ratione suæ libertatis resistere omnibus suis motibus seorsim sumptis; petit tamen ut in aliquibus concursus Dei deficiat, ut prædicta inclinatio ostendatur. Et hac ratione liberum arbitrium hominis non integri non est sufficiens ad implenda omnia præcepta naturalia collectivè.

84 Arguitur secundò. Nam homo peccat non servando totam legem naturalem: ergo potest servare collectivè totam illam ex solis viribus naturalibus. Patet consequentia: quia nemo peccat in eo, quòd vitare non potest, iuxta dicta num. 76. ¶ Et confirmatur. Nam si homo non potest servare collectivè omnia præcepta naturalia nisi viribus gratiæ, necesse foret, quòd attentis suis viribus caderet per fractionem aliquorum præceptorum; hoc autem derogat bonitati divinæ: ergo.

Ad argument. respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Nam, ut inquit D. Thom. 3. Contra gent. cap. 160. *Licet ille, qui est in peccato, non habeat hoc in propria potestate, quòd omnino vitet peccatum; habet tamen potestatem nunc vitare hoc, vel illud peccatum. Unde quodcumque committit, voluntariè committit: & ita non immeritò est*

imputatur ad culpam. Pro cuius solutionis luce, Nota non dari defecto speciale præceptum, quo Deus præcipiat totam legem, seu observationem omnium præceptorum naturalium in particulari, sed omnia esse determinata ad singulos actus; & cum homo habeat potestatem in actu primo ad servandum quodlibet præceptum naturale seorsim sumptum, hinc est, quòd non adimpletio eiususque præcepti meriti ei imputetur ad culpam.

Ad confirmationem respondetur, concedendo sequelam, si per *ly fractionem aliquorum præceptorum* intelligatur aliquid vagè, & non determinatè. Nec per hoc derogatur bonitati divinæ; sed attenditur naturalis conditio naturæ non integræ, quæ ratione suæ inclinationis ad malum exposcit, vt aliquando deficiat. Derogaret certè bonitati divinæ, si Deus præciperet prædictæ naturæ aliquid opus determinatè, & non posset illud absolute efficere.

85 Arguitur tertio. Nam propter eam homo lapsus, aut in natura pura non posset servare collectivè omnia præcepta naturalia, quia est ab intrinseco defectibilis, & hac ratione petit, vt ei aliquando denegeretur divinus concursus; sed hæc ratio est nulla: siquidem homo integer est ab intrinseco defectibilis, & Angelus gratia ornatus etiam est defectibilis; & primus habet potentiam ad servanda collectivè omnia præcepta naturalia; & secundus ad servanda collectivè præcepta supernaturalia: ergo etiam homo non integer potest servare collectivè omnia præcepta naturalia.

Respondetur, negando absolute maiorem, quia reddit non causam pro causa. Ratio enim, cur homo non integer postulat negationem divini concursus, & non possit servare collectivè omnia præcepta naturalia, non est naturalis eius defectibilitas præcisè, sed ipsa vt adiuncta cum positiva inclinatione ad malum orta ex appetitu sensitivo, seu concupiscentia. Et hæc est radix, vt natura non integra postulet negationem divini concursus non solum in hoc, vel illo individuo vagè, sed etiam in omnibus collectivè ad observationem aliquorum præceptorum vagè. At licet adimpletio omnium præceptorum collectivè considerata secundum se, vel quantum ad difficultatem obiectivam, quam ipsa præcepta important, non excederet vires Angeli, & hominis integri iustitia originali exornati, possetque proinde ex vi huius executioni mandari absque gratia speciali, eadem tamen adimpletio, vt continuata vsque ad mortem, & vt proveniens à gratia data ex efficaci intentione perseverantiæ, atque immobilitate voluntatem creatam in bono, excedit dispositionem prædicti hominis, & Angeli: idèoque haberet rationem gratiæ specialis respectu utriusque naturæ, & omnium individuatorum

in

in particulari. Unde, attentis omnibus, non possunt potestati consequenti omnia præcepta collectivè servare vsque ad mortem absque speciali gratia Dei, quæ est donum perseverantiæ, & hoc provenit vnicè ex flexibilitate eorum, ad distinctionem hominis non integri, qui ex hoc, & alio capite relato indiget speciali gratia ad omnia præcepta collectivè servanda.

86 Arguitur quartò. Nam homo non integer habet ex se vires sufficientes, & expeditas ad servanda omnia præcepta naturalia seorsim sumpta: ergo etiam collectivè accepta. Antecedens continet primam nostram conclusionem. Et consequentia probatur primò: quia servare omnia præcepta divisivè, & servare illa collectivè non differunt ex parte actus: nam supponamus, quòd sunt decem præcepta, & quòd singula vsque ad vltimum inclusive servat, certè ibi includitur servare illa collectivè: ergo idem sunt posse servare ea divisivè, ac posse servare collectivè, iuxta illud axioma, *Id præstat potentia possibiliter, quod præstat actus actu.* Secundò: Nam potentia ad servanda omnia præcepta divisivè est reducibilis ad actum, aliàs non esset vera potentia; sed si reduceretur ad actum, servaret omnia collectivè, vt ex se liquet: ergo si homo non integer potest omnia præcepta naturalia servare, etiam collectivè. *Tertio, & ultimo:* Nam vires illius, per hoc quòd adimpleat vnum præceptum, non diminuentur ad aliud, vt supra num. 75. ostendimus: ergo &c.

Hoc argument. quamvis vulgare sit, cum possit applicari potentie intellectivæ vt potentiæ cognoscere omnes veritates naturales divisivè, & non collectivè; & homini iusto potenti vitare omnia peccata venialia divisivè, sed non collectivè; non propter eam contemnendum est, quia continet difficultatem in hoc tract. ex se factis implexam. Sed ante omnia adverte, in eo argui à sensu diviso ad sensum compositum, seu copulatum, involvique fallaciam compositionis, & divisionis. Unde sicut non valet: *sine hoc equo possum equitare, & sine singulis: ergo possum equitare sine omni equo,* quia arguitur a sensu diviso ad compositum. Ita non valet: *possum sine gratia servare hoc præceptum, & illud, & sic de singulis: ergo possum omnia collectivè,* propter eandem fallaciam.

Et missis alijs solutionibus, quia desideratum enodanda difficultatis scopum non pertinent, Respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Quia licet in homine non integro dentur sufficientes vires ad servanda omnia præcepta divisivè, nec per exercitium aliquorum debilitentur ad subsequentiā servandā; nihilominus contrarietas propensionum ad bonum, & ad malum postulat, vt ad servanda aliqua vagè conferatur eis concursus divinus; & ad alia vagè denegetur.

Ad primam probationem dicendum est, quòd actus correspondens virtuti, vt potenti divisivè servare omnia præcepta, non est singula servare in nullo deficiendo, hic enim est actus correspondens virtuti, vt potenti illa servare collectivè, sed tantum est servare vnumquodque indeterminate, & sine relatione ad observationem aliorum. Quo pacto optimè coheret, quòd si adimplet aliqua determinate, necessariò in alijs deficiat: & quia hæc absolute potest servare, nullo habito respectu ad observationem determinatam præcedentiam, libere peccet. Per quod conitatur ad secundam, & tertiam probationem.

Et si vrgeas: Demus casum, quòd præcepta sunt decem, & quòd quis servavit novem; quid dicendum erit de vltimo? Respondendum est, quòd facta prædicta suppositione, & in sensu composito, non potest absque speciali gratia illud servare: quia exigit, vt ei denegetur divinus concursus. At quia simpliciter, absolute, & nulla facta suppositione, potest illud servare, propterea non adimpletio illius imputatur ei. Quæ solutio potest roborari exemplis nuper insinuat. ¶ Aliqui Authores sentiunt, hypothesein prædictam non esse admittendam, itaut, si collectio tota integretur ex decem, possit homo adimplere novem collectivè. Et non caret probabilitate. Omnes tamen concedunt, quòd potest servare omnia divisivè; quin nullus teneatur concedere, quòd potest hanc, vel illam collectionem integram servare.

§. V.

Quarundam quaestionularum brevis resolutio.

87 **P**RO complemento doctrine traditæ in hoc dubio inquires primò: An attenda rei natura, sit in homine lapsio necessaria gratia habitualis ad servanda omnia præcepta naturalia collectivè? ¶ Respondetur affirmativè. Et colligitur non obscure ex D. Thom. art. 4. supra relato, vbi ait: *In statu nature corrupte non potest homo implere omnia mandata legis divinae sine gratia sanante.* Et art. 8. etiam relato ait: *Similiter, antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam iustificantem, potest singula peccata mortalia vitare, & secundum aliquod tempus: sed quòd diu maneat absque mortali, esse non potest.* Unde D. Greg. hom. 11. in Ezechiel, inquit: *Peccatum, quod per penitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit.*

Et probatur ratione: Nam servare omnia præcepta naturalia collectivè importat ex parte modi operandi diuturnam uniformitatem, & con-

consistentiam in bene operando; sed ad hanc requiritur gratia habitualis iuxta providentiam ordinariam: ergo gratia habitualis, aeterna communi providentia, requiritur ad servanda omnia praecepta naturalia collectivè. Maior apparet certa. Minor verò probatur: nam modus bene operandi diu, & uniformiter debet supponere inclinationem uniformem, & ex natura sua consistentem ad bonum; sed hanc nulla gratia potest prestare homini lapsò præter gratiam iustificantem, seu habitualem: ergo ad diuturnam uniformitatem, & consistentiam in bene operando requiritur gratia habitualis. Maior videtur certa, iuxta illud, *Modus operandi sequitur modum essendi*. Minor verò probatur: nam imprimis in homine lapsò non datur locus ad integritatem naturalem: deinde gratia auxilians communicat per modum transeuntis: tandem gratia habitualis est habitus ex natura sua permanens: ergo nulla gratia præter habitualem potest prestare inclinationem uniformem, & ex se consistentem ad bonum.

88 Sed obijcies primò cum Vazquez, cui prædicta resolutio non aridet, existimante sufficere auxilia continuata efficacia intra ordinem naturalem, quæ in sanctis cogitationibus congruis consistunt. Nam, posita cogitatione congrua, sequitur infallibiliter observatio præcepti; & eaque ablata, etiamsi adsit gratia habitualis, non sequitur: ergo sufficiens auxilia efficacia, seu cogitationes congruæ continuatæ ad servanda præcepta naturalia, & non requiritur gratia habitualis. *Secundò*. Nam observatio adhuc collectivè totius legis naturalis est naturalis entitativè: ergo non requiritur ex parte principij vlla gratia supernaturalis, qualis est habitualis. *Tertiò*. Aliàs sequeretur, quòd posset quis cognoscere se esse in gratia. *Quartò*. Sequeretur etiam, quòd homo existens in peccato mortali teneatur statim ad iustificationem, cum quilibet sub mortali teneatur vitare periculum proximum peccandi mortaliter, quale præstat status peccati iuxta testimonium D. Gregorij supra relatam; consequens est contra communem sensum Theologorum: ergo non requiritur gratia habitualis ad servanda collectivè omnia præcepta naturalia.

Ad primam obiectionem respondetur, concedendo antecedens; sed negando consequentiam. Nam licet absolute, & iuxta providentiam extraordinariam possint conferri auxilia efficacia, seu cogitationes congruæ continuatæ ad servanda collectivè omnia præcepta naturalia; attenda tamen connaturali, & suavi Dei providentia, ad hoc requiritur gratia habitualis: quia ratione illius dicitur homo exigentiam ad uniformem collationem auxiliorum efficacium; & sublatà gratia habituali, nulla esset forma, ratione cuius exigeret continuam collationem auxiliorum. ¶ Ad secundam respondetur, ex ea

tantiam inferri, quòd non requiritur gratia habitualis per modum principij exequentis ipsam observationem præceptorum naturalium. Cum quo stat, quòd requiritur ad comprimendam vtrumque inclinationem appetitus sensitivi ad malum: sicut in statu integritatis perfectio illum constituens non requiritur per modum principij elicentis observationem præceptorum naturalium, sed tantum per modum comprimendis rebellionem appetitus.

Ad tertiam respondetur negando sequentiam. Quia non scit certo, & evidenter esse necessariam gratiam habitualem ad observanda collectivè præcepta naturalia; cum opposita opinio sit probabilis. *Adde*: Nam homo potest certo scire se non violasse aliquod præceptum naturale per aliquam notabilem durationem: sed non potest certo scire, quantum sit illud tempus, quo sine gratia potest non frangere aliquod præceptum naturale. ¶ Ad quartam respondetur negando etiam sequentiam. Quia status peccati non est periculum proximum frangendi aliquod præceptum; cum possit homo absque gratia per aliquod tempus servare omnia præcepta naturalia. Et licet agnoscat, quòd aliquod violabit, si diu perseverat in peccato; non tamen scit certo, quando contingeret violatio, ideoque nec cognoscit, quando est in periculo proximo illud violandi: & propterea non tenetur statim ad penitentiam.

89 Inquires secundò: An præter gratiam habitualem requirantur specialia auxilia, quæ habeant rationem gratiæ respectu hominis iustificati? ¶ Respondetur affirmativè. Ita expræse D. Thom. infra art. 9. Et probatur ipsius ratione: siquidem gratia habitualis ita sanat hominem quantum ad mentem, quòd relinquit absolute rebellionem appetitus contra rationem, & infectionem carnis, per quam servit legi peccati, iuxta illud Apost. 7. ad Rom. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: ergo præter gratiam habitualem requiruntur auxilia per modum gratiæ specialis ad servanda collectivè omnia præcepta naturalia. Probatur consequentia: ideo homo in natura pura conditus, vel in natura lapsa indiget gratia speciali, quia habet inclinationem appetitus ad bonum sensibile, quòd sapientius est contrarium bono rationis; sed gratia habitualis non perfecte sanat appetitum relinquens in homine iustificato prædictam inclinationem expeditam ad bonum sensibile: ergo. ¶ Roboratur hoc: Nam, stante prædicta rebellionem appetitus, sunt indebita auxilia actualia ad semper bene operandum: ergo requiruntur per modum gratiæ specialis ad servanda omnia præcepta naturalia collectivè. Probatur antecedens: nam propterea in homine, si conderetur in puris, essent indebita auxilia actualia ad semper bene operandum, quia adest in eo prædicta rebel-

rebellio, ratione cuius postular, vt denegetur ei aliquando divinus concursus; sed hæc ratio probat in homine iustificato, stante in eo rebellionem appetitus: ergo auxilia sunt ei indebita adhuc facta reduplicatione iustificationis.

90 Dices, resolutionem hanc non coherere cum precedenti, vbi statuitur necessitatem gratiæ habituales ad observanda omnia præcepta naturalia collectivè. Siquidem necessitatem illius ostendimus, vt detur principium permanentis, & exigens connaturaliter continuam, & uniformem collationem auxiliorum, quæ requiruntur ad observationem collectivam omnium mandatorum naturalium: & si hoc non præstat, videtur nihil præstare. Hoc etiam est contra mentem Concil. Milevit. can. 3. vbi damnatur asserens, *gratiam Dei, in qua iustificamur, ad solam remissionem peccatorum valere; non etiam ad adiutorium, vt non committantur*: ergo. ¶ Et confirmatur. Nam servare omnia præcepta naturalia collectivè est opus proprium hominis sani, vt supra ostensum est; sed homo sanatus per gratiam, vt expræse docet D. Thom. art. 4. ergo non indiget vltiori gratia speciali.

Ad obiectionem respondetur, quòd licet gratia habitualis non præstet homini iustificato omnimodam exigentiam respectivè ad omnia auxilia actualia, quæ requiruntur ad servanda collectivè omnia præcepta naturalia propter præstatam rationem; præstat tamen aliqualem, hoc est ad diuturniorem collationem eorum, quam non haberet homo in puris conditus, nec à fortiori homo lapsus: quia cum se, & omnia sua referat ad Deum vltimum finem, quodammodo ex hoc capite reprimat appetitum sensitivum, & propterea collatio plurimum auxiliorum, quæ non est debita homini puro, & lapsò, est debita, & connaturalis homini iustificato, & hic absque alia gratia speciali potest permanentius observare præcepta, licet non omnia collectivè. Et in omni homine, sive iustificato, sive lapsò, sive puro attendendi sunt individuales cuiuslibet conditiones, & complexionēs, & habitus vitiosi; bona, vel mala educatio; honesta, vel inhonesta amicum conversatio; plurium, vel pauciorum occasio, & negotiorum occurus, quibus attentis, & ceteris paribus, absdubio gratia habitualis confert exigentiam ad auxilia actualia, vt diu possit homo observare præcepta, quæ non posset per idem tempus servare sine illa, licet non conferat ad omnia collectivè. Hinc aperte constat coherentiam huius resolutionis cum precedenti.

Confirmatio præoccupata manet ex nostra ratione. Siquidem, vt in ea insinuavimus, homo solum sanatus per gratiam quantum ad mentem, non verò perfecte quantum ad appetitum. Et propterea quantum ad hoc integritas

naturalis excedit gratiam habitualem; quamvis hæc ex alijs capitibus excedat incomparabiliter statum naturæ integræ in linea tantum naturali.

¶ Dubitari tamen ab aliquibus solet, an prædicta auxilia iuxta regularem providentiam debeant esse supernaturalia? Sed breviter respondetur negativè: quia observatio omnium est naturalis, sicut observatio cuiuslibet seorsim sumpti.

91 Ex quibus omnibus inferri valet, quid dicendum sit de homine iustificato vt tali respectivè ad præcepta supernaturalia. Nam de eodem modo discurrendum est quoad illa præcepta tam divinitive, quam collectivè sumpta, ac de homine lapsò, & maxime in puris condito in ordine ad præcepta naturalia. Quocirca sicut homo purus, aut lapsus sine speciali gratia potest omnia præcepta naturalia seorsim sumpta observare, secus verò collectivè; ita homo iustificatus potest omnia præcepta supernaturalia sumpta divinitive adimplere, non autem collectivè.

Sed adhuc dubium aliud insurgit: an auxilia requisita per modum gratiæ specialis dentur ad posse, vel solum ad agere? Videntur enim ex vna parte requiri ad posse, & non solum ad agere: quia ad eandem providentiam, ad quam spectat dare homini vires sufficientes ex parte actus primi ad aliquam operationem, spectat etiam reducere eas aliquando ad actum, & in aliquibus individuis, vt inductivè potest ostendi, & ex dictis satis constat: ergo si prædicta auxilia supponunt vires sufficientes ad servanda omnia præcepta collectivè, non sunt effectus providentiæ distinctæ ab ea, quæ confert prædictas vires, proindeque non sunt specialis gratiæ. Ex alia parte videntur dari tantum ad agere: quia suppositis viribus proprijs respectivè ad præcepta naturalia cum gratia habituali, & collatis auxilijs efficacibus, homo non solum absolute, sed etiam connaturaliter servat præcepta. *Adde*: Quia nihil aliud videtur assignabile, quod se teneat ex parte actus primi præter proprias vires, & gratiam habitua-

lem. Ex his tamen partibus eligimus primam cum NN. Salmant. in hoc tract. disp. 3. num. 227. Ad quam eligendam nos convincit ratio pro ea insinuatam. Ad rationem verò pro secunda parte allatam, Respondetur, quòd absolute loquendo homo cum viribus proprijs, sive cum gratia habituali, collatis ei auxilijs efficacibus, servaret omnia præcepta collectivè, non tamen connaturaliter: quia non haberet ex parte actus primi omne id, quòd requiritur ad exigentiam completam prædictorum auxiliorum. ¶ Ad additamentum, respondent NN. Salmant. loco proximè citato, quòd auxilia requisita ex parte actus primi consistunt in continuata collatione illustrationum ex parte intellectus, & pi-